

Quid bona refers maxima,  
 Cum non nisi brevissima,  
 Non dicas nisi ultima ?  
 Parum est quidquid dixeris,  
 Breve quod cogitaveris,  
 Vile quidquid descripseris,  
 Nihil quidquid retuleris.  
 O felix urbs et incluta,  
 Cœlesti luce prædita,  
 Gemmis et auro condita,  
 Solique Deo subdita !  
 Tu diversis lapidibus,  
 Sanctis fulges spiritibus,  
 Et electis hominibus  
 Qui bonis student actibus.  
 In te chorus angelicus  
 Qui tuus est hymnidicus,  
 In te grex apostolicus  
 Tuus exstans veridicus.  
 Tu rubescis martyribus,  
 Florescis confessoribus,  
 Albescisque virginibus,  
 Splendescis simul omnibus.  
 In te nullum negotium  
 Quod vertatur in tedium  
 Hoc est totum officium  
 Laudare Regem omnium.  
 Hoc solum cunctos satiat,  
 Hoc simul eos debriat ;  
 Quantoque magis satiat,  
 Plus ardent ut proficiat.  
 Semper Deum concipiunt,  
 semper laudare sitiunt,  
 Sitiendo proficiunt,  
 Saturati esuriunt.  
 Quantum quisque de propria  
 Tantum de fratris gloria,  
 Nulla motus invidia  
 Mira fervet lætitia.  
 O Sion ! sancta civitas,  
 In qua sic ardet charitas

Quanta tua felicitas,  
 Quanta in te tranquillitas !  
 O ! quid jam illi deerit  
 Qui te adeptus fuerit ?  
 Quod nolet illi deerit,  
 Quod vero volet aderit.  
 O ! si ad te non venero.  
 Si te, mater, non videro,  
 Si exsul tui fuero,  
 Væ ! væ ! tunc mihi misero !  
 Si mihi portam cluseris,  
 Si me pulsantem spreveris,  
 Heu ! profundo carceris  
 Mox demergar cum miseris.  
 Tunc mihi dolor ultimus,  
 Tunc planctus erit maximus  
 Nam carcer est teterrimus,  
 Et tortor crudelissimus.  
 Nulla spes erit exitus  
 Nulla regni introitus,  
 Nullus pœnarum obitus,  
 Nullus finis interitus.  
 Sed tu, rex indulgentis,  
 Tolle manum justitias,  
 Da tempus pœnitentiæ,  
 Spem mihi confer veniæ.  
 Multum peccavi, fateor,  
 Multum ne damner vereor ;  
 Sed tamen hac spe recreor  
 Quod te pium intueor.  
 Tu, pro salute hominis,  
 Alvum intrasti Virginis  
 Ut nostri prædam carminis  
 Sævus auferres dominis.  
 Tu, propter nos, ludibria,  
 Tu, sputorum opprobria,  
 Crucis quoque supplicia  
 Mira tulisti gratia ;  
 Nec mori differs, Domine,  
 Pro servili levamine,  
 Mortisque fracto limine,

Nos salvas tuo sanguine.  
 Illa, Rex Christe, passio  
 Fiat mihi redemptio,  
 Peccatorum remissio,  
 Paradisi regressio.  
 Nil enim mihi proderit  
 Quod mundum liberaverit,  
 Nisi et me salvaverit.  
 Vitamque mihi dederit.  
 Audi ergo, piissime,  
 Audi, Rex clementissime,  
 Audi preces miserimæ  
 Peccatricisque animæ.  
 Noli, quæso, me spernere,  
 Noli vultum avertere,  
 Nec recuses suscipere  
 Ad te volentem fugere.  
 De commissis da veniam  
 De futuris custodiam  
 Ut et pœnas effugiam,  
 Et ad regnum perventiam.  
 Quod si supernis domibus  
 Indignus sum et sedibus  
 Da saltem ut in foribus  
 Quiescam cum minoribus.  
 Da locum saltem minimum,  
 Da vel gradum noviesimum ;  
 Nam me credam ditissimum  
 Si me cornam vel minimum.  
 Hoc dat Pater ingenitus,  
 Ejusque unigenitus,  
 Sacer quoque Paracletus  
 Qui factor est non conditus,  
 Ut sim cum sanctis omnibus,  
 Et cum sacris virginibus,  
 In paradisi sedibus,  
 Vel cum sanctorum pedibus.  
 Quisquis hanc schedam legeris  
 Quisquis hoc carmen videris,  
 Mei quoque memineris  
 Cum *Pater noster* dixeris.

*Explicit lamentatio peccatricis animæ.*

## HISTORIA HILDEBERTI CENOMANENSIS EPISCOPI DE MAHUMETE

(Ita ms. codex ann. circiter 500, olim Elnonensis, sive S. Amandi in Pabula, nunc Regius, n. 274, qui solus inter mss. quos vidimus hanc habet Historiam.)

### BREVE MONITUM.

1277-1278 Historia, seu narratio mere poetica ad exercitationem quasi academicam confecta potius quam exacta facti relatio qualis esse debet historia. Præterquam quod enim in anachronismum insignem lapsus est auctor, dum insinuat Mahumetis sectam, et insignis hypocritæ, Sergii scilicet apostatæ, ut putamus, ab Ecclesia defectionem, circa Theodosii et sancti Ambrosii tempora refert accidisse. Quod narrat hic de vitulo in cavea secrete enutrito, deinde tauro facto ac furibundo a Mahumete, quo rex fieret, acicurato, cum de hoc nihil omnino reperiatur apud auctores qui de rebus Mahumeticis egerunt, totum hoc nil nisi fabulam sapit, quam Hildebertus forte tunc juvenis, et litteris adhuc humanioribus vacans potius quam seriis, necdum adhuc historia valde peritus, exercitationis gratia in odium Mahumeticæ sectæ excogitavit et composuit. Hinc parum abuit quin hanc historiam seu fabulam omiserimus, nisi in optimæ notæ manuscripto Elnonensi, ex quo alioquin multa seria et lectu dignissima eruimus, tam expresse prætulisset nomen Hildeberti, cujus cum opera omnia, quantacunque detegere potuerimus, vulgare

nostri fuerit instituti, ne minimam quidem eorum partem retinere licitum nobis non sumus arbitrati.

Heu! quot sunt stulti miseranda fraude sepulti,  
 Contemptaque Dei cognitione rei!  
 Qui Christum spernunt, cujus miracula cernunt,  
 Quem Dominum solum contremunt omne solum.  
 Unde magis gentes se damnant insipientes,  
 Quæ Christum rident, dum sua regna vident.  
 Nam qui viderunt hunc passum, nec potuerunt  
 Credere, stultitia sic redimunt vitia.  
 Sed ne delinquam, quoniam modo taliter inquam,  
 Neve tuendo reos sim reus inter eos,  
 Christum sprevisse crimen contendo fuisse,  
 Sed qui desipuit, sic veniale fuit:  
 At scelus immane sit non tibi credere, Christe;  
 Utque loquar tuto, non veniale puto.  
 Nam tacinus tale, tam durum, tam capitale,  
 Quis dignum venia crederet esse pia?  
 Hos autem dignos æterna morte malignos,  
 Judice me capiet, atque vorax rapiet  
 Infernus infernos, nec qui satiatur Avernus;  
 Vixque potest scribi quid patiuntur ibi.  
 Ignis eos torret, ad quem mihi jam cutis horret;  
 Res equidem sonitu, res gravis admonitu.  
 Illos infestant miseros vicibusque molestant  
 Igneus inde vigor, frigoris inde rigor.  
 Nam sic damnantur, ut frigora nunc patiantur,  
 Alternaque vice sulphura mista pice.  
 Vermis eos rodit, quos omnipotens Deus odit,  
 Pœnaque sit pravis multiplicata gravis.  
 Ignis ibi spissus, quem tetra revolvit abysus:  
 Nunquam grata dies est ibi, nulla quies.  
 Ultima quid servo! res huic accedit acervo  
 Cunctis præstatis plus miseranda satis;  
 Semper lugere, cruciatus sine carere:  
 Hoc vere gravius et miserabilius.  
 Quæ cum narrare nullus queat et numerare,  
 Cur ego dinumero, cum careant numero?  
 Sed male secura gens flebiliter peritura,  
 Perfidia tabens, nil rationis habens,  
 Si posset scire sic se debere perire,  
 Hoc puto desereret, et sibi consuleret  
 Linqueret errorem, te, Christe, sequens meliorem,  
 Consuleretque sibi vota ferendo tibi.  
 Sed sunt pagani, qui spe luduntur inani,  
 Qui quæcunque volunt pro deitate colunt.  
 Nec gens errore subducitur [f. seducitur] illa minore,  
 De qua proposui scribere, ceu potui.  
 Ipsa Jovis mundum fratris negat esse profundum,  
 Plutoni Stygium detrahit imperium,  
 Et reputat vanam rem cum Junone Dianam,

A Nec facit eximium Palladis ingenium.  
 Martem cum Venere dicit deitate carere,  
 Et negat esse deum cum Protheo Nerseum.  
 Quidquid et antiquæ fuit olim fraudis ubique,  
 Horum sub titulis viluit his populis.  
 Hæc execrantur, et eos hæc qui venerantur;  
 Hos quoque confutant, et miseros reputant,  
 Vivere dicentes sicut fenum comedentes,  
 Æque Judæos Christicolæque reos.  
 Se dicunt sapere, sed nos ratione carere  
 Et nos sicut eos dicimus esse reos.  
 Sic insensatos nos illi, seque beatos,  
 Dicentes vere se Dominum colere,  
 Qui Deus in celo justo regit omnia telo [f. zelo];  
 Sed gens revera non colit hunc misera.  
 B Hic si quærat quis sit quem sic veneratur,  
 1279 Nomen habet Mahumet; hoc duce fies tumet.  
 Illi cunctorum cessit cultura deorum,  
 Qui tenet ut proprium perfidiæ solium.  
 Expulit errores error novus iste priorum,  
 Et Mahumet soli sunt data regna doli [f. poli].  
 At tu summorum speculum, Godebalde (84), virorum,  
 Quod fuerit quæris principium accleris,  
 Præcipis expediam; præcipis, et faciam.  
 Quo si dignatur Deus ut ceptum peragatur.  
 Dum tua jussa sequor, sic lege nostra precor.

## CANTUS PRIMUS.

Plus nocet, ut nostis, ad cuncta domesticus hostis,  
 Et res ipsa docet qualiter ille nocet.  
 Nam male devotus quidam baptismate lotus.  
 C Plenus perfidia vixit in Ecclesia.  
 Per magicas fraudes quærens hominum sibi laudes,  
 Ut sua per studia corrumpat Ecclesia;  
 Quod dum celabat et caute dissimulabat,  
 Ceu lupus ecclesiis sedit in insidiis.  
 (85) Dulci sermone, flota quoque religione  
 Blanditur populo sub fidei titulo.  
 Falsus ad hoc testis accesserat horrida pestis,  
 Fota cibus raro, marida pane caro;  
 Qui procul a ludo fugiens, ibat pede nudo,  
 Submisso rite cuncta loquens capite.  
 Quando pergebat coram, sua labra movebat.  
 Ut sanctum teneat quisque illum videat.  
 Sed suspirando si tolleret hic aliquando  
 Demissos oculos, concitet ut populos,  
 D Tunc exaltabat palmas vocemque levabat,  
 Non pro se moriens, sed populi miserens.  
 Nam de se tutus, nil est nisi pauca locutus,

(84) Godebaldus ille quis fuerit non liquet.

(85) Hæc hypocritæ et vaferrimi hominis descriptio non improbabiler cadere posset in Sergium, non quidem illum patriarcham Constantinopolitanum, hujus nominis I, qui ipse Monothelita, Heraclium imperatorem Monothelitam, et Monothelitarum protectorem effecerat (ut quidam erronee

sunt opinati), sed alium Sergium Armenum pseudo-monachum, et sui ordinis apostatam, qui Arianorum et Nestorianorum erroribus infectus, impio Mahumeti suam tunc sectam instituere meditantem, tam tenaciter adhæserat, ut illo nequissimus ille pseudopropheta ad Alcoranum suum concinnandum usus fuerit.

Tantum pro populo corde rogans tremulo ;  
 Illius unde fidem plebs admirans sacra pridem,  
 In Jerosolymis est prope capta dolis.  
 Nam cum transisset Pater illius Urbis, et iisset  
 In cœlum subito corpore disposito,  
 Tunc exaltari magus hic et pontificari  
 Affectans avide ; se tamen hæc pavide  
 Dixit facturum, nisi sciret non nociturum  
 Si præsul fiat, cum Deus hoc cupiat.  
 Nil equidem gravius quam sarcina nominis hujus ;  
 Ad quod pondus, ait, me Deus ipse trahit.  
 Sed Deus inspector cordis, justus quoque rector  
 Ut pius atque sciens consulit in melius.  
 Nam quod præfatus cupiebat homo sceleratus  
 Christo displicuit, nec fieri potuit.  
 Tunc rex invictus (86) Theodosius et benedictus,  
 Hostis perfidiæ, filius Ecclesiæ,  
 Summus erat regum, sub quo sacra sanctio legum  
 Prædicante pio floruit Ambrosio.  
 Hic cum præsciasset quod præsul tantus obisset,  
 Festinans abiit qua Pater hic obiit.  
 Et tandem multo cum luctu Patre sepulto,  
 Christum supplicibus consuluit precibus,  
 Ut sibi monstraret quem digne pontificaret ;  
 1280 Cui sic insonuit vox et eum monuit :  
 Ne credas turbæ, latet hostis ut anguis in urbe.  
 Vox ut conticuit, rex tacitus stupuit.  
 Quid sit miratur, tamen admirans veneratur,  
 Et replicat monitus taliter attonitus.  
 Sed cito plebs solvit quæ rex dubitata revolvit :  
 Simplex delirum nam rapit ipsa virum,  
 Et velut invitum secum pertraxit iniquum  
 Ante fores regis ; simplicis ergo gregis  
 Dum male consultus fremit hic sine lege tumultus,  
 Rex quærit strepitus quid velit insolitus.  
 Cui quidam fatur : Plebs te prodire precatur.  
 Rex, sicut petitur, protinus egreditur.  
 Quem magus egressum cernens stupet, et cito  
 [gressum  
 Flexit, nam vere tunc voluit fugere.  
 Nec quid vidisset scio, propter quod timuisset.  
 Hoc patet, invitum cum fuit intuitus.  
 Nam nota palloris dat in ipso signa timoris :  
 Unde libens fugeret, si populus sineret.  
 Cui sic dicebat luctanti quem retinebat :  
 Quamvis lucteris, tu Pater urbis eris.  
 Utque retraxerunt, hunc pontificem petierunt.  
 Laudantes equidem verba, virique fidem.  
 Pro quo de more dum persreperit aula favore,  
 Infremuit subitus et favor insolitus.  
 Nam non humanis ululatus, imo profanis  
 Ut plebs conticuit, ipsa domus fremuit.  
 Huc quia venerunt toto quæcunque fuerunt  
 Mundo dæmonia, turba magi socia.  
 Audiit ut tantum plebs murmur vociferantum,  
 Sternoitur atque tacet, dum stupefacta jacet.

(86) Manifestus hic anachronismus, et huic poemati nonnullam suspicionis notam aspergens, cum Theodosius et S. Ambrosius circa an. 392 clarue-

A Quam rex signavit, signoque crucis revocavit,  
 Atque rogat Dominum, reddat ut his animum.  
 Aulam mundavit, populumque Deo reparavit ;  
 Et male præmagum talibus inde magum  
 Vocibus affatur : Quid nunc tua fraus operatur,  
 Insidiosa lues ? Hæc tua facta lues.  
 Nam qui damnosum sibi te scit et insidiosum,  
 Dum te discutiet, tunc male percutiet.  
 Utque Deus verus tibi sit magis ipse severus,  
 Nunc ego parco tibi ; sed patieris ibi  
 Perpetuo digne quando cruciaberis igne  
 Quo veniam cupies, nec tamen invenies.  
 I procul, immitis, dignissima victima ditis ;  
 Eminus hinc fugias. Quod nisi jam facias,  
 Quæ sit nostrorum sententia judiciorum  
 B Tunc volo comperies ; ergo cito fugias.  
 Inde suis fatur : Jubeo procul hic rapiatur.  
 Mox igitur rapitur, atque foras trahitur.  
 Sic dolus antiquus, sic pestis et hostis iniquus  
 Fallere non potuit, fallere quos voluit.  
 Qui tamen abstractus, et longius ire coactus  
 Hanc ignominiam dixit in Ecclesiam.  
 Ipse reportabo, neque sic, sed centuplicabo  
 Vestra sit Ecclesia nunc licet eximia,  
 Sentiet ipsa ruinas [f. minas] nostras, patiendo  
 [ruinas,  
 Cum sua posteritas victa mihi meritas  
 Exsolvet pœnas, et uti desidero plenas.  
 In quo præmagus, heu ! fuit ille magus.  
 Si quæris testem, paganam respice pestem  
 Cujus nequitie signa manent hodie.  
 C 1281 Nam gens exosa Christum, gens pernicioosa,  
 Gens Mahumet parens, et ratione carens  
 Certat adhuc stultum defendere sedula cultum  
 Cur perit illa, scio, perpete supplicio.  
 Causa mali talis magus iste fuit specialis,  
 Quem pro perfidia depulit Ecclesia.  
 Qui pulsus dira flagrans exæstuat ira,  
 Et rapida vadens perditione madens.  
 In Libyam cursus detorquet ut impius ursus.  
 Et tunc in Libya floruit Ecclesia,  
 Africa florebat, et Christo vota ferebat ;  
 Sed bene quem coluit, heu ! cito deseruit.  
 Nam modo prædicta veniens magus urbe relicta,  
 Hanc quoque rite piam sævit in Ecclesiam.  
 Hic etenim sancte se vivere sinit ut ante,  
 D Quod bene dum simulat arte malum cumulat.  
 Nam meditans cædes animarum, consulis ædes  
 Hostis ut hospes init ; consul eum recipit.  
 Hospite gaudebat, quia reverenter habebat  
 Omnes Christicolas, utpote cœlicolas.  
 Inde magum fovit, cujus jejunia novit,  
 Et vidit ritus, atque sacros habitus ;  
 Nam vivebat ita sceleratus simplice vita,  
 Simplex apparens, et quasi felle carens,  
 Quod flos illarum dictus fuit ecclesiarum.

riat, Mahumetes autem non nisi circa an. 620 suas ineptias adinvenire cœperit.

Nullus enim poterat scire magus quod erat :  
Quaro præfatus dives magis hunc veneratus,  
Dilexit, timuit, utque pium tenuit.

## CANTUS II.

Cui bene credebat hic servum dives habebat,  
Nominè Mamutium [Mamutius], cujus id officium  
Res dispensare domini ; super hæc vigilare ;  
Hæc fuit officii curaque Mamutii,  
Qui procuravit, et super cætera cavet  
Ut sic præfato serviat ipse mago :  
Quod sibi cuncta daret quæ vellet, nulla negaret,  
Et quæ præciperet omnia mox laceret.  
Hunc magis amplectens, et amicitia sibi nectens  
Multis blanditiis atque veneficiis,  
Alligat ut captum, quia Mamutium videt aptum  
Materiam fieri proposito sceleri.  
Hæc igitur verba jaclabat voce proterva :  
Fidenter quæro quæ placet eligere.  
Elige, lecta dabo, quæsitæque multiplicabo ;  
Et quidquid quæres, me tribuente feres.  
Ut magus hæc pactus fuit, ille stetit stupefactus,  
Quærens quid cupiat, quid sibi conveniat ;  
Et tandem dixit : Pater, ad tua verba revixit  
Mens mea, quod quæro si fieri potero ;  
Nil aliud certe rogo contingat mihi per te,  
Quam liber fieri præsidio celeri.  
Ad quæ prædictus respondit homo maledictus :  
Compos quod quæris muneris hujus eris ;  
Sed male me noscis, quia talia munera poscis :  
An mihi difficile quod minimis facile ?  
Esset enim pronum tibi quælibet hoc dare donum ;  
Sed tibi me vere plura libet facere.  
Nam cum persona decet ut sint consona dona,  
Parva decent humiles, magna mihi similes  
Consul eris per me : dixi tibi cætera ferme  
Quæ dare proposui, sed melius tacui.  
Et tunc hoc venit, sed quo dixi tibi fiet.  
Contra Mamutius intulit hæc citius :  
Si tibi servus ero, non altera munera quæro ;  
Nam bene liber ero, si tibi serviero.  
At magus ut novit, sua mox præstigia movit,  
Et sic immeritum Mamutii dominum  
Morbo percussit, tantisque doloribus ussit,  
Quod sibi mors levior, vita foret gravior  
1282 Cumque moraretur, neclam cito moreretur,  
Quod non prompta fuit mors, magis indoluit.  
Et secum fatur : Nisi protinus hic moriatur,  
Tunc ego non valeo ; sed quid agam teneo.  
Hoc tacite dicto, replicat mox sicut e ricto  
Sub recti specie murmura nequitie.  
Et surgens nocte, subtraxit lumina docte,  
Ut faciant tenebræ tale nefas celebre,  
Et quasi defunctos somno ligat ordine cunctos.  
Quo facto proprius criminis ille socius ;  
Et sic exertis humero tenus ipse lacertis,  
Infirmam manibus conterit et pedibus.  
Hujus et absque mora cum naribus obstruit ora,  
Cui sic spiramen abstulit ; ipse tamen  
Guttur ei fragit, mortemque subire coegit,

A Reddens pro donis talia dona bonis.  
Ergo redit gaudens, et dicit, in hoc sibi plaudens  
Nunc factis scelere me puto proficere.  
At postquam luxit Phœbus, unoque reduxit  
Luminis officium, consulis exitium  
Servis detegitur ; quod ubi multis aperitur,  
Fugit ab ore color, insuetusque dolor  
Omnes confundit : fletus hic sua pectora tundit ;  
Hic crines lacerat ; quemque dolor macerat.  
Hic gemit, hic plangit, omnes unus dolor angit.  
Tunc quoque patroni more miseranda boni  
Non solum flentes movit quocumque clientes,  
Flebant assidue, sed simul et viduæ ;  
Et lucta plenum super omnia vulgus egenum,  
Mœrebantque pie quælibet Ecclesie.  
B Omnis sanctorum cum clero grex monachorum,  
Princeps, plebs humilis tunc fuit in lacrymis.  
His quoque præfatus accessit homo sceleratus,  
Qui lacrymando madens, inque dolendo cadens,  
Exemplum flendi tactus fuit atque dolendi :  
Quare nullus eum credidit esse reum.  
Sed vir honoratus postquam fuerat tumultus.  
Et dolor ut sedit, mens sua cuique redit.  
Tunc magnis inceptis magis insistebat ineptis,  
Taliter afficiens arteque decipiens  
Consulis uxorem, quod vix pateretur amorem,  
Si servum proprium nomine Mamutium,  
Quamvis invitum festinet habere maritum :  
De quo præsagium consulit illa magum,  
Qui quasi prudenter magus intulit ista verenter :  
Illud si faceres, tu tibi consulares ;  
C Sed bene cœpisti si feceris ut voluisti  
Hoc, auctore Deo, consilioque meo.  
Illa redit gaudens, quamvis istud scelus audens,  
Dummodo Mamutium possit habere virum ;  
Impatiensque moræ, mox libertatis honore  
Donat Mamutium ; detrahit officium  
Illi servile, pro quo sibi reddit herile,  
Atque suum famulum constituit dominum.  
Nempe maritali tæda, rituque jugali  
Huic se supposuit, heu ! quia depuduit :  
Quod quamvis dicam, fateor tamen esse pudicam,  
Hanc et matronam rite fuisse bonam.  
Sed dolus antiquus magus hanc decepit iniquus,  
Cui nec erat dirum mortificasse virum.

## CANTUS III.

D Sic ubi primatus jam fulsit honore beatus  
Consul Mamutius, dives et eximius,  
Ad se damnatum vocat ille suum sceleratum,  
Quem sic alloquitur : Ecce tuus fruitur  
Mamutius per te promissis rebus aperte,  
Consul dicor ego, me tamen esse nego.  
Jam Domini more nostro fungeris honore,  
Noster honor tuus est, quippe tuus meus est :  
1283 Tu prædicabis, Pater, et facienda notabis,  
Præceptoque tuo pareo continuo.  
Per me majorem, magus inquit, habebis honorem,  
Si tibi quæ jubeo feceris ut moneo.  
Haud ablactatum, sed nunc de matre creatum

Sume tibi vitulum ; res lateat populum.  
 Sumptum claudemus et nutriri faciemus,  
 Ut nulli pateat quo vitulus lateat.  
 Res tamen ut vere possit sine teste latere,  
 Est opus arte mea ; fiet enim fovea  
 Omnibus ignota, sic et de luce remota,  
 Ut quid ibi fiat sol neque luna sciat.  
 Illic ponatur vitulus ; sed ne videatur,  
 Solus ibi lateat, nil nisi nos videat.  
 Neve repentina se prodatur vitulina,  
 Ne possit prodi, debet in ima fodi ;  
 Curaque sit prima, quo sic sodiatur in ima,  
 Aureas ne vituli vox feriat populi.  
 Nos duo pascemus illum, solique sciemus ;  
 Nil res proficiat si vaga turba sciet.  
 Ast oculus quintus vitulum si viderit intus,  
 Quantum post oculum scire putes populum.  
 Ergo fac celes, et nulli dicta reveles ;  
 Debes ipse tui calliditate frui.  
 Mamutius stabat, et respondere parabat,  
 Sed magus hunc cohibet, atque loqui prohibet.  
 Non est dicendum nunc, inquit, sed faciendum  
 Quare Mamutius se rapit hinc citius :  
 Et jam nil fatur, solum facit et meditatur  
 Compleat ut rite singula sollicite  
 Quæ magus aptari præceperat atque parari.  
 Quæsit vitulum, res latuit populum.  
 Fodit speluncam qualis puto non fuit unquam,  
 Cæcam, terribilem, dæmoniis habilem,  
 Quæ fuit infernis vicina, remota supernis,  
 Et stygio ritu terra timenda situ.  
 Carcere damnatus tali vitulus modo natus  
 Clauditur, et crebris pascitur in tenebris.  
 Paverunt neque magus illum Mamutiusque ;  
 His solum patuit, res alios latuit.  
 Boli paverunt vitulum, solique scierunt  
 Quin jam taurus erat qui vitulus fuerat.  
 Quem si spectares, vitulum vix esse putares ;  
 Dixisses potius : Dæmonis est socius ;  
 Nam non taurina fuit illi, sed peregrina  
 Monstri forma novi, nec similanda bovi.  
 Cornibus horrendus, plus rhinocerote timendus ;  
 Ignea lux oculi terror erat populi.  
 Horrui ipsarum quasi spinis forma genarum ;  
 Huic habuit nares bestia nulla pares :  
 Terribilis flatus, patulus fuit oris hiatus,  
 Cujus rictus atri forma fuit barathri :  
 Vertex cristatus, et equino more comatus,  
 Colli magnifica, formaque terrificæ.  
 Exstabatque toris pectus sublime decoris,  
 Et conformis ibi vix fuit ipse sibi.  
 Heu ! ponam dorsum vel cætera membra seorsum  
 Dorso, pectoribus, cruribus et pedibus,  
 Silvæ exstanti fuit ut puto par elephantæ ;  
 Et si quis quærat, bestia talis erat.

## CANTUS IV.

Interea flenda res accidit atque dolenda :  
 Filius Ecclesiæ rex obiit Libyæ,  
 Qui, dum vivebat, suus orbis pace vigeat ;

A Non ibi nequitia, sed pia justitia.  
 Quid foret impietas nullius noverat ætas ;  
 Perfidiam vitium cavet ut exitium.  
 Fecerat hoc legis rigor, et mens strenua regis,  
 Quo regnante pia floruit Ecclesia.  
 1284 Ille velut custos defendens undique justos,  
 Hostis qua poterat impietatis erat :  
 Desolatarum spes ille fuit viduarum,  
 Amplectens miseros ceu proprios pueros :  
 Illis solamen, fuit illis ille levamen  
 Esse sui similes quosque putans humiles.  
 Sic bonus ille bonis, et amator religionis,  
 Luctus in terra fit moriendo pia.  
 O vere pietas ! vix luctus dat sibi metas ;  
 Flet robur juvenum, debilitasque senum :  
 B Flet pietas matrum, mæret reverentia patrum  
 Fletque simul teneri cum patribus pueri.  
 Africa mærebat, quasi pro se quisque dolebat  
 Omnis Christicola, miles et agricola ;  
 Par quoque servorum luctus fuit et dominorum.  
 Dives inopsque dolet, non dolor esse solet  
 Talis : nam clerus, monachorum grexque severus,  
 Et quisque coluit rite Deum, doluit.  
 Nam tutela boni fuit hujus vita patroni,  
 Quo moriente pia corrui Ecclesia.  
 Sic lacrymis usque tristes casus utriusque  
 Regis et Ecclesiæ flentur ubique piæ.  
 Ergo nimis multo cum lucta rege sepulto,  
 Signant in tumulto scripta sub hoc titulo :  
 Tres luctus causæ sunt hoc sub marmore clausæ,  
 Rex, decus Ecclesiæ, summus honor patriæ.

## C CANTUS V.

Ast ubi tantarum torrens abiit lacrymarum,  
 Instituit dubia concilium Libya.  
 Quo disceptatur procerum quis constituatur,  
 Quis sit rex Libyæ, digna salus patriæ.  
 Sic inter proceres regno dum quæritur hæres,  
 Mamutio socius sic ait ille suus :  
 I, precor, et solito properans velocius ito,  
 Et pete concilium consiliis dubium.  
 Cum liceat fari tibi, fac me, quæso, vocari ;  
 Nam scio me vere sic tibi proficere.  
 Sed loquerer plura, nisi forte forent nocitura ;  
 Hæc quoque dum moneo, te male detineo.  
 Omnia Mamutius mox ad verbum facit hujus ;  
 Se rapit fode cito plus properans solito :  
 D Nil exspectabat, fugientis more volabat,  
 Donec concilium venerat in medium,  
 Quo sceleris diri murmur jam cœpit oriri.  
 Dum culmen rerum quisque cupit procerum,  
 Quo mox immitis crevissent jurgia litis,  
 Venisset medius ni cito Mamutius.  
 Nam cum post verba præludia litis acerba,  
 Arma viri caperent, castraque perstreperent  
 Inter dementes populos, et in arma ruentes,  
 Exsiliit medius concito Mamutius ;  
 Et sic sedavit proceres et conciliavit.  
 Quos ubi composuit, et populus siluit,  
 Paulo cunctatus, sic dicitur esse profatus :

Laudo composita jurgia præterita,  
 Quo tamen ex facto me nequaquam modo jacto,  
 Sed venisse volo quod loquar absque dolo;  
 Gaudeo venisse, sed plus vos composuisse,  
 Per quos justitia viget in hac patria,  
 Per quos vestrorum stat, crescit calmen honorum,  
 Per quos eximia pace viget Lybia.  
 Vos tales vere decet omnes cepta tenere,  
 Et decet eximium quemlibet imperium.  
 Sed regni munus mos exigit ut ferat unus;  
 Una domus geminos non patitur dominos.  
 Nam socio regi rex est quod crimina legi,  
 Concordem socium non habet imperium.  
 Sed tamen ut rite sit rex unus sine lite,  
 Si cupitis celeri consilio fieri,

**1255** Hoc ego monstrabo, post consiliumque pro-  
 [babo

Non ullum melius esse vel utilius.  
 Nosco virum quemdam, non personam reveren-  
 [dam,

Sed contemptibilem, sed misero similem;  
 Et tamen est plenus hic religionis egenus,  
 Simplex et sapiens, quæque futura sciens;  
 Et puto sermone sapientior est Salomone,  
 Namque prophetia sua sunt consilia:  
 Iste requiratur ut judicet atque loquatur  
 Quid recte fiat, quid male conveniat.  
 Ille perorabat, et dicere plura parabat;  
 Plura loqui cuperet, si populus sineret.  
 At partes æque sic vociferantur utraque:  
 Mammutius taceat, dictaque res placeat.  
 Tunc male sensatus laudans hæc dicta senatus,  
 Quis sit quem mittat, jam minime dubitat;  
 Proque viro miræ virtutis protinus ire  
 Orant Mammutiam; sed rogat hic socium,  
 Cui procerum mille datur optio: deligit ille  
 Quemdam qui fatuus esset et ingenuus.  
 Ergo recesserunt, pariterque magum petierunt,  
 Quem multum rogitant et prece sollicitant  
 Ut veniat secum, quo judicet omnibus æquum,  
 Conciliumque regat; sed magus ire negat,  
 Istud se facere dicens, sed nolle docere,  
 Imo quod taceat si quis eum doceat.  
 Hæc quoque dicebat et multoties repetebat,  
 In turba procerum scire nihil miserum;  
 Qui tamen oratus, tandem, multumque rogatus,  
 Flectitur ut nolens, et velut ire dolens;  
 Quodque foret læta mala mens, sibi fraude sueta  
 Per tristes habitus dissimulat penitus.  
 Cumque sibi stratum vidisset equum phaleratum,  
 Quid mihi cum phaleris? dixit homo sceleris.  
 Quis mihi stravit equum? nihil illi credite mecum;  
 Sit procul omnis equus, nil mihi tale decus.  
 Aut ferar his binis pedibus, vel si peregrinis,  
 His binis asini more ferar Domini.  
 Ergo legati, juxta verbum scelerati,  
 Conantur facere quod jubet, et propere:  
 Huic asinum quarunt, ipsumque superposuerunt;  
 Quo facto redeunt, et celeres abeunt:

**A** Sed prædictante sibi nequittia, magus ante  
 Taurum de cavea solverat interea,  
 Concilium quando jusens petitit properando  
 Dicitus Mammutius ille suus socius.  
 Et frontem tauri titulo præcinxerat auri:  
 Sic ducens illum lumen ad insolitum,  
 Ceu moveat bella fera territa luce novella,  
 Exsiliens mugit, et velut aura fugit.  
 Unde mora parva cito proxima transvolat arva,  
 Non ulli miserens, singula quæque terens.  
 Nulli parcebat, homines et rura premebat,  
 Æque stravit oves, prævalidosque boves.  
 Sternebatque sata tumidus, calcans pede prata:  
 Nec quod taurus erat esse memor poterat.

## CANTUS VI.

**B** Ergo damnosus multis et prodigiosus  
 Innumerum populum contrahit ad speculum id  
 [est spectaculum.

Cum jam præfatus diro magus homine natus  
 Concilium subiit, quo properans abiit.  
 In medio procerum stabat confusio rerum,  
 Hostis justitiæ, formula nequitiæ,  
 Stans humilis vultu, spectandus paupere cultu,  
 Sicut ovis tacuit; quod populo placuit.  
 Inde rogabatur ab eis, quod et ipse loquatur,  
 Et regem solus deligat ipse dolus.

**1256** Cumque videretur dicturus, ubique siletur,  
 Ut queat audiri vox scelerata viri.

Ille gemens primo suspiria traxit ab imo  
 Pectore, flens subito more sibi solito.  
 Attollensque manus, sua volvit in ore profanus

**C** Murmura sollicitæ, pauca loquens tacite.  
 Inde genu flectit, laqueos mens perfida nequit,  
 Ut credatur ei sub specie fidei.  
 Quod plebs miratur simplex et collacrymatur,  
 Et sic esse reum nescia laudat eum.

Qui postquam lacrymis maduit, dicturus opimis  
 Cætera prosequitur tristis, et hæc loquitur:  
 Pro vestris rebus ego curo quibusque diebus;  
 Nam mihi vos hodie curaquæ quotidie.  
 Pro vobis oro, vobis prodesse laboro;  
 Vester semper ero qualibet ut potero.

Sed quæ nunc istis pro rebus consulistis  
 Personam vilem me misero similem.  
 Memet confundo si solus consilium do,  
 Si solus dederò justo protervus ero.

**D** Quare de celo vobis modo nota revelo,  
 Sensus et ista meus non dabit, imo Deus.  
 Digne regnabit taurum quicumque jugabit,  
 Qui juga non tulerit, ferreque nescierit.  
 Quem Deus eligat, hunc homo diligat et veneren-  
 [tur;

Placat namque Deum quisquis amabit eum.  
 Cur habeat signum tamen hæc electio dignum,  
 Absolvam leviter, si placet et breviter.  
 Hæc gens sequatur, et tauro consimulatur;  
 Nam genus hoc hominum vix patitur dominum.  
 Sed rex constanter Lybiam regat atque potenter,  
 Qui taurum melius subjugat et levius.

Hic confirmabit et justitiam solidabit;  
 Noxia mutabit, et bona cuncta dabit.  
 Et quia regnabit, mala quælibet inde fugabit  
 Florebitque pia pace sub hoc Lybia.

## CANTUS VII.

Dixerat, et multas sequitur sua verba tumultus:  
 Applaudunt juvenes, nec tacuere senes.  
 Esse sibi facile putat hoc robur juvenile,  
 Sed longum senium cui dedit ingenium,  
 Dicebat secum: Matura scientia mecum,  
 Et virtus juvenum vincitur arte senum.  
 Cur ego despero? Cur non regnum mihi quæro?  
 Si vetat hoc senium, suadeat ingenium.  
 Ars compensabit quod vis mihi parva negabit;  
 Dum quidquid facio, certa reget ratio.  
 Sic omnes proceres regnum sperare videres:  
 Vi propria juvenes, calliditate senes.  
 Jam regio tota tanta formidine mota,  
 Pars metuens fugitat, magna pavens latitat.  
 Sed qui fugerunt, ita conventum subierunt,  
 Ut sibi concilium conferat auxilium.  
 Esseque dicebant, pro quo trepidi fugiebant,  
 Monstrum terribile, pene bovi simile.  
 Qui parcit nulli, vix turbæ cederet ulli,  
 Quaque fugiens rueret, omnia destrueret.  
 Ad quod conventus pavet omnis, et ipsa juvenus  
 Monstrum pertimuit, atque pavens tremuit.  
 Tunc magis hortatur quod ad hoc monstrum venia-

[tur,

Utque magus voluit, obvia turba ruit.  
 Quæ procul ingentem cernens taurum venientem  
 Horruit, eximii spe tamen imperii  
 Illum qui captat se totum quilibet aptat.  
 Cum jam magnificus taurus et horrificus  
 Stat medius, miro circumdatus undique gyro.  
 1287 Ast ubi turba stetit, ista magus repetit:  
 Eia rex esse qui vis, modo sceptrâ capesse,  
 Imperium dotes ecce tenere potes.  
 Qui jugat hunc taurum, capiat me iudice laurum,  
 Atque jubente Deo, terra sit hæc sub eo.  
 Vocibus his plausus datur, et nullus tamen ausus  
 Appropriare fuit, quisque sibi timuit.  
 Sed taurus stabat, in seque fremens dubitabat  
 Quid potius faceret, quo prius impeterat.  
 Nam fore credebat hostes quoscunque videbat;  
 Quos circumspiciens cedit in his sitiens,  
 In se bacchatur, et in orbem sæpe rotatur.  
 Stabat enim dubius, quo ruat ipse prius.

## CANTUS VIII.

Hic quod dicendum reor minime reticendum.  
 Strenuus effrenis prosiliit juvenis.  
 Hic ait ad taurum: Nisi victus des mihi laurum,  
 Nobiliter moriar, laudeque sic poliar.  
 Te feriente mori magno mihi flet honori,  
 Nec tibi laus feritas, sed mihi strenuitas.  
 Inde per obliquum vadens ut fallat iniquum,  
 Per cornu propere tentat enim rapere.  
 Et puto cepisset, nisi bellua cauta fuisset;  
 Quæ dum capta fuit, obvia turba ruit.

A Atque velut certo gauderet in hoste reperto,  
 Huic inhiat soli forma cruenta doli.  
 Quo viso juvenis velut auræ flamine lenis  
 Percussus rubuit, nec tamen extimuit,  
 Qui quamvis nosset quæ non evadere posset,  
 Ni citius fugeret, et sibi consuleret,  
 Intrepidus restat: tantum virtus sibi præstat,  
 Ut malit cadere, quam timide fugere.  
 Armis ergo carens, animi sed robore clarens,  
 Quæ natura dedit, lætus ad arma redit.  
 Bellaque sic captat, ad quæ sua membra coaptat  
 Dextra fuit, gladius, læva manus clypeus.  
 En alter sæva, nuda sine tegmine læva  
 Qualia sustinuit, qualia non timuit.  
 Ense carens stabat, nec inermis adhuc dubitabat.  
 B O mira mirum strenuitate virum!  
 Quem vix laude pari reor unquam posse vocari,  
 Cui mors grata fuit vivere dum potuit.  
 Maluit ergo mori quam succubuisse timori,  
 Sed gaudet populo sic fieri speculo [seu specta-  
 culo.  
 Tunc fera lethalis tanquam cursum juvat alis  
 In juvenem rapitur, quo miser opprimitur,  
 Et citius dictu lethali concidit ictu.  
 Ut taurus vidit quod juvenis cecidit,  
 Tunc ita sævit in hunc quasi victo diceret: nunc  
 Et me fac scribi succubuisse tibi;  
 Sic potiere meo per sæcula longa trophæo.  
 Sed juvenis vita despoliatus ita  
 Proh dolor! expirat, quem bellua pessima gyral,  
 C Sic ludens in eo sicut in hoste [f. ove] leo.  
 Ad variæ gentes dicebant ista videntes:  
 Venit revera cœlitus ista fera,  
 Jureque regnabit illam quicunque jugabit.  
 Sed juvenem miserem jam penitus lacerum  
 Taurus ut aspexit per circum cornua flexit,  
 Atque suos geminos forte videt dominos;  
 Quæque sibi notos videt illos stare remotos,  
 Hac abiit propere, sed populus fugere  
 Cœpit ab hac parte, magica male lusus ab arte,  
 Cum mox Mammutius ille magi socius  
 Nil patiando metus procedit ab agmine lætus,  
 Egreditur solus, fraus, scelus, ipse dolus,  
 Perfidieque scelus. Aderat jam taurus anhelus,  
 Et sibi prolatas, sæpe sed ante datas  
 Ore manus lambit, dominumque frequentius ambit,  
 D 1288 Quem sicut voluit Mahometus tenuit.  
 Callidus ergo jugum jubet afferri sibi durum,  
 Oblatumque fuit, quod vobis imposuit  
 Victor cervici; taurus patienter amici  
 Tactum sustinuit, quem dominum limuit.  
 Dum sic Mammutius feritatem mitigat hujus,  
 Accedunt trepidi mox proceres stupidi;  
 Scriptaque legerunt, propter quæ plus stupuerunt,  
 Signis namque novis frons titulata bovis  
 Auro fulgebat, carmenque novum retinebat:  
 Quod, qui viderunt, tale fuisse ferunt:  
 Hunc Deus elegit, cui me servire coegit.  
 Sic ego missus ei sum pietate Dei

Postquam videntur proceres quæ scripta fuerunt  
Mammuthium rapiunt, et dominum faciunt.

## CANTUS IX.

Tunc fragor in castris quasi bellicus intonat astris.

Bellum civile nil sonuit simile.

Dixisses fractas ipsas cæli cataractas;

Omnia si ruerent, non aliter fremerent.

Tanta fuit gentis vox indiscreta furentis,

Cum sibi Mammuthium constituunt dominum.

Ille reluctatur, quin obluctando profatur:

Non æquum facilis, et puto nil sapitis.

Nunquam quæsiui nec regna tenere cupivi:

Non æquum facitis; cur ita me rapitis?

Quod si perstatis vos ut mihi vim faciatis,

Ex desiderio non fruar imperio.

Unde magis raptus sceptris regalibus aptus

Solus clamatur, sicque corona datur.

Mammuthius sit rex postquam sacra deperit lex:

Ordine nam tali venit origo mali.

Hos igitur factus illi dederat suus astus,

Cujus perfidia saucia flet Lybia.

Cum jam regnaret vir iniquus et imperitaret,

Tunc sic aggreditur hunc magus, et loquitur:

Te benefactorum memorem decet esse meorum,

Quid sis, quid fueris si memor hujus eris;

Et mihi dona dabis, et me, nisi fallor, amabis,

Et sicut spero, non tibi vilis ero.

Nunc ergo si vis ut homo saveat tibi quisvis,

Fac quod ego moneo, par eris inde Deo.

Sic tibi summa dabo, sic te super astra levabo:

Est mihi terrarum regna dedisse parum.

Per me summus eris; per me Deus efficieris,

Si quæ te moneo feceris ut jubeo.

Lex mutandorum gravis est Evangeliorum,

Quæ sensu vacuos nos putat et fatuos.

Dum nos moschari prohibet et luxuriari,

Et cognatorum destruit ipsa torum.

Multaque præceptis vetat, et confirmat ineptis,

Quæ tu damnabis dum magis apta dabis.

Nam tu moschandam statuas, venerique vacandum.

Luxuriet penus, sitque soluta Venus.

Sed tua decreta debes hac claudere meta.

Ut modo sit licitum quidquid erat vetitum.

Sic tibi majorem populi sine lege favorem

Conciliare potes, si mea verba notes.

Nil magis est oneri quam stricta lege teneri:

Ergo fac liceant omnia quæ libeant.

Qualiter hoc fieri poterit, ratione doceri

Arguta poteris, si mihi parueris.

Argue scriptorum vitiose dicta priorum,

Et male scripta prius corrige nunc melius,

Quæ careant menda sine crimine trade legenda,

Cætera deride non bene digna fide.

1289 Illi scripturam debemus credere jure,

Jureque suscipio quæ caret arbitrio.

Contra, scripturam quæ dat legem nocituram

Jure despicio; nam nocet arbitrio.

Arbitrium latum sub libertate creatum,

Si legem statuas, protinus evacuas.

A Sic non omne licet quod libertas mihi dicet,

Quæ sub lege suum non habet arbitrium.

Ergo decet regem tantum talem dare legem,

Ut quidquid libeat, hoc etiam liceat.

Sic sic magnus eris, sic perpete pace frueris,

Hoc facti titulo jura placens populo.

Cui rex tantorum referens grates monitorum

Intulit: Eximia sunt tua consilia.

Et tua doctrina nobis penitus peregrina

Nota tibi soli venit ab arce poli.

Per te divina mundo lucet medicina:

Nam loqueris, video, cuncta docente Deo.

Quare prostatus precor ut modo sim tibi gratus,

Sicut et ante fui, quando minus valui.

Tu me fecisti dominum, tu regna dedisti,

B Sed nunc amplificas, et dona multiplicas.

Sic mecum stabis, et adhuc, Pater, insinuabis

Per quod ego facere nil videar temere.

Ergo mihi suade, faciendaque singula trade,

Et mihi te speculum, te facias oculum.

Semper, uti sciti, feci quidquid voluisti;

Nunc si præteream quæ jubeas, peream.

Africa parebit his quæ tua lingua docebit,

Et tibi discipulus totus erit populus.

## CANTUS X.

Ad magicos nutus rex quæque nefanda secutus,

Sicut pollicitus est, ita sollicitus

Omnia complevit; sacras leges abolevit;

Et quidquid libuit, hoc licitum statuit.

Addit et hoc sceleri, nolentes hoc revereri

Rebus privari, supplicisque dari.

C Ad quæ decreta mens astrorum male læta

Gaudet et insanit, dum male flenda canit.

Multiplicans lætas voces lascivior ætas

Lætatur scribi multa licere sibi.

Jamque puellaris chorus, et plausus popularis

Solum mammuthium prædicat eximium.

Extuleratque virum quasi sacratum, quasi mirum

Aura favoralis semper amica malis.

O gens confusa, magico male dogmate lusa!

O socianda feris! o miseranda! peris.

Libera sum, dicis: libertas hæc inimicis

Nostris eveniat, nosque precor fugiat.

Libertas talis vobis erit exitialis,

Quæ vos damnabit, supplicisque dabit.

Dum tibi consultum credis, gens, o male stultum

D Quo gaudens raperis, læta canens moreris.

Dum nunc exultas, pœnas cumulas tibi multas,

Et juxta meritum, tendis ad interitum.

Ergo prurigo Veneris scelerum sit origo,

Africa dum temere polluitur Venere.

Sollicitans nuptas ruit effrenata voluptas:

Nullaque virgo fuit nubere quæ potuit.

Aspernata torum mulier vaga legitimum,

Quodlibet esse pium credit adulterium.

Omnes ardebant; vir et uxor idem faciebant;

Cæca fuit juvenum, cæca libido senum.

Quare plerumque sexum confudit utrumque,

Incertumque genus fecit iniqua Venus.



Sic homo confusum rationis perdidit usum,  
Non faciendo secus quam rude quodque pecus.  
Nil fuit humanum, nisi constitit esse profanum.

1290 Qui minus hæc timuit, sanctior ille  
[fuit.

Ut scelus irrepsit, honor et reverentia cessit,  
Quæ commisceri non poterat sceleri.  
Quare laudari cœptus fuit, et celebrari  
Omnis concubitus lege sacra vetitus.  
Dum tibi natura rapuerunt in tua jura,  
Femina quæque parem, mas subigendo marem,  
Et contra morem frater premit ipse sororem,  
Nupta soror fratri victima lit barathri,  
Incestat matrem sua proles, filia patrem :  
Sic quidquid libuit lege nova licuit.  
Heu ! quot prudentes facti sunt insipientes,  
Nequitiaque favent, nec mala jura pavent.  
Regis enim terror quosdam, sed publicus error  
Plures per vitia traxit ad exitia.

Parci constantes, solique Deo famulantes,  
Dum meliora docent ut populum revocent,  
Confirmaverunt exemplo quod docuerunt ;  
Nam vel supplicio, vel prece, vel pretio  
Crebro tentari poterunt, minime superari :  
Qui mox suppliciiis expositi variis,  
Pœnas spreverunt quas multas sustinuerunt.  
Quidam verberibus, pars quota carceribus  
Mundum vicerunt ; quidam flagris perierunt.  
Ille tamen patitur ; ille siti moritur.

Quidam truncati, quidam sunt igne cremati ;  
Vectibus hic foditur, aut oleo coquitur :  
Ille coronatur, quia vivus decoriatur :  
Hic sectus perit, astraque sic subit.  
Ille triumphavit, quia corvos in cruce pavit :  
His imbrem lapidum sustinuit rapidum.  
Trigribus oblatus quidam, vel præcipitati,  
Vicerunt alii supplicio gladii.  
Cuncta relinquentes quidam, Dominumque se-

[quentes,

In se crudeles dum metuunt homines,  
Invia sylvarum peragrant, rabiesque ferarum  
Illæsos patitur quos homo persequitur.  
Qui sic viventi modo vivunt Omnipotenti,  
Nacti perpetua præmia morte sua.

#### CANTUS XI.

Hinc sibi vindictam Dominus memor esse re-

[lictam,

Mammotium subito percussit, et merito ;  
Nam male pro gestis capit hunc epileptica pestis,  
Quæ vexat miserum pro numero scelere.  
Cumque flagellaret Deus illum, quo revocaret,  
Non potuit sapere pro nimio scelere :  
Sed velut effrenis equus haud retinetur habenis,  
Sic ob supplicia, plus abit in vitia.  
Sic solet iratus Christus punire reatus,  
Quem dum sic punit, acrius ille furit.  
Quare damnatum magus ut videt hunc sceleratum  
Introrsus gemuit, nec modice doluit :  
Neve tamen tristis rebus videatur in istis,

A Cautè dissimulat hoc quod eum stimulat ;  
Quod bene dum celat, ad majus crimen anhelat :  
Ad quam nequitiam sic parat ipse viam  
Ut quoties caderet rex, exanimisque jaceret,  
Vel cum deficeret, inde scelus caperet.  
Certe nec mirum reputabitur hoc fore mirum,  
Si quando legitur. Ordine nos igitur  
Mandemus chartæ magus hoc qua fecerit arte,  
Cujus nequitia nil nisi nequitia.

Nam quasi plaudebat rex quancumque dolebat,  
Laudes rite Deo multiplicans ideo,  
Quod respexisset populum, cui præposuisset  
Regem magnificum, moribus angelicum,  
Quique putaretur defunctus, cum raperetur

1291 In cœlum quoties summa Deus toties

B Regni tractaret, vel cum novâ jura crearet,  
Dixit enim per eum cuncta patrare Deum :  
Quare deceptas monuit gentes et ineptas  
Ut lacrymas teneant, et minime doleant ;  
Imo lætentur, regemque magis venerentur,  
Cum videant in eo complacuisse Deo.  
Sed gens polluta, magicum mox dogma secuta,  
Illa suum proprium vertit in exitium.  
Nempe suo more cum, resurgente dolore,  
Vi subita caderet, exanimisque foret,  
Vulgus seductum vertens in gaudia luctum,  
Unde prius doluit, hinc modo conticuit  
Mente virum captum, quia dicit ad æthera raptum  
Ut det jura solo, præsideatque polo.

#### CANTUS XII.

C Plebs ita gaudebat velut, inquam, et læta canebat :  
Sed magus interea pensat in ætherea :  
Qui cum præsciret tempus quo morbus abiret,  
Ut regi vita jam redeat solita,  
Tunc excludebat omnes, solusque manebat,  
Fingens mysterium se celebrare pium.  
Cumque recessisset dolor, et rex convalescisset,  
Mox magus hunc docuit, eustus ut ante fuit ;  
Atque suum virus instillat homo sibi dirus,  
Ut pereat misera gens lue pestifera.  
Sed rex progressus, morbum pallore professus,  
Taliter orditur, et populis loquitur :  
Festiva laude, gens electissima, plaude ;  
Nam tua complacita sunt superis placita :  
Hoc tu fecisti, tu vere promerueristi  
Quod cunctis adeo cœlitibus placeo.

D Quodque meum cursum quoties ego dirigo sur-

[sum,

Convenit adscribi, gens benedicta, tibi.  
Sed quis plorastis, me quando dolere putastis.  
Discite quam gratus sit meus ille status.  
Cum velut amentem me cernitis atque dolentem,  
In cœlum rapior, et minime patior ;  
Tunc ego sanctorum fruor alloquio euperorum,  
Condignasque Deo delicias habeo.  
Quippe meus visus ibi delectat paradisi,  
Glorior hymnificis laudibus angelicis.  
Nunc feror in plastrum, nunc inde relabor ad  
[Australium.

Igneâ quem gelidum zona facit calidum.  
 Inde relulgentes stellas multumve frequentes,  
 Hisque Nolo pariter quæ via, quod sit iter.  
 Hinc mea miratur mens, cum cælo rapiatur,  
 Unde queant superi constabiles fieri,  
 Ut non volvantur simul, imo nec moveantur.  
 Talia cum videam, creditis ut doleam :  
 Hic nunc languesco, sed ibi gaudens requiesco,  
 Qua sine lite quies, qua sine nocte dies.  
 Hunc tamen ad mundum mihi cum fuerit redeun-

[dum,

Tunc certe doleo, tam cito quod redeo :  
 Nam bona tantarum cum desero deliciarum,  
 Vix patior reditum carnis ad interitum.  
 Unde recusarem reditus, et non remearem,  
 Nec mundum peterem, vos nisi diligerem.  
 Vos mihi sudoris, vos estis causa doloris.  
 Quare percipite, gens mea, sollicite  
 Quid modo vidissem cum raptus ad alta fuisset  
 Et quod ego promo, disce fidelis homo.  
 Mundum damnamus, si vos prius excipiamus ;  
 Si vos excipimus, omnia despiciamus.  
 Quid colat humanum nescit genus ut male sanum ;  
 1292 Nescit quid faciat, multa licet faciat.  
 Vos genus electum, vos nil facitis nisi rectum ;  
 Vos verum sapitis membra sacri capitis.  
 Illi constringunt se legibus, et sibi fingunt,  
 Et nova jura creant, in quibus et pereant.  
 Vos superis grati, vos libertate beati,  
 Vos Deus innocuos æstimat esse suos.  
 Illi sublati nunc essent et reprobati,  
 Venissent media ni mea consilia.  
 Nam cum damnandæ gentes essent medicandæ,  
 Sic mea quod decuit lingua locuta fuit :  
 Cætus cælestis, quia nil nescire potestis,  
 Quod sit magnifica religio Lybica,  
 Vos ipsi scitis, et, credo, notare potestis,  
 Hanc gentem noviter nosse salutis iter.  
 Ut discernatis quod honor sacræ novitatis,  
 Cum vix extremam contigerit Lybiam,  
 Tam cito diffundi non posse per ultima mundi,  
 Quod nemo docuit discere quis potuit ?  
 Unde precor genti sano doctore carenti,  
 Datur adhuc spatium, quo redimat vitium.  
 Sed, puto, ridebunt postquam sacra nostra videbunt :  
 Ni cito pœniteant, iudice me pereant.  
 Et sic damnentur, ut perpetuo crucientur :  
 Hic ubi conticui, sic superis placui.  
 Qui mihi decretus locus est sine fine quietus,  
 Ut quoties redeam sceptrâ poli teneam.  
 Par ego vincenti per sæcula Cunctipotenti,  
 Cum quo solus ego cuncta regenda rego.  
 Ergo gaudete, præceptaque nostrâ tenete  
 Cum multo studio ; quippe procul dubio  
 Vos exaltabo, mihi vos ego consimilabo,  
 Hic mihi si meritis consimiles eritis.  
 Si plene purus vix esse potest moriturus,  
 Propter carnis onus, dum nequit esse bonus,  
 Nemo sub hoc onere valet unquam labe carere,

A Unde subesse scio nos alicui vitio ;  
 Quare pollutis hæc sit via prima salutis,  
 Ut post peccata quisque lavetur aqua :  
 Nempe sacramentum veniæ dabit hoc elementum,  
 Sed vere sacrum tale sit ut lavacrum.  
 Quisquis purgari bene vult et purificari,  
 Sic se sanctificet, et quater hoc replicet.  
 Quidquid deliqui, Mahumet purgator iniqui,  
 Dilue sacratam deprecor hanc per aquam.  
 Taliter ablutis summæ dabo dona salutis,  
 Regni perpetui semper honore frui.  
 Pluribus instruerem vos si modo tempus haberem,  
 Nunc dum protrahitur sermo, dies rapitur.  
 Corde sed intento, mea gens, retinere memento  
 Sicut disposui singula quæ docui.  
 B Ut libertatis ita jacturam caveatis,  
 Liber ut in proprio quisque sit arbitrio.  
 Nam si sic vultis vestris consistere cultis,  
 Carnis post obitum tunc dabo pollicitum.  
 Hæc postquam dixit, gens simplex laude canora  
 Intonat, adjectis plausibus absque mora :  
 Inque modum tonitru tantus ferit æthera clamor,  
 Quantum Junonis sub Jove nescit amor.

## CANTUS XIII.

Quid facis his monitis scelerum caput, hostia ditis,  
 Brutos atque rudes dum laqueare studes ?  
 Sed metuis, credo, crudelis et impie prædo,  
 Ne solus pereas, quod minime timeas.  
 Nam tu privatus non ibis et incomitatus.  
 Imo turba tua non erit exigua ;  
 Nec multis annis tua serviet ira tyrannis,  
 C Nec tua quod quærit vita perennis erit.  
 1293 Ultio divine, dum tu gaudes, inopina  
 Jam te præveniet, nec leviter feriet :  
 Sicque repente cades, generalis et unica clades,  
 Jam quoque digna ditis aula tuis meritis.  
 Te membrum Satauræ chaos sorbebit inane.  
 Et quasi te sitiât, tartarus omnis hiat.  
 Eia, lætare, quia desistes cumulare,  
 Qui tibi post obitum fructiferas gemitum,  
 Et tibi, gens stulta, superest confusio multa,  
 Nec tibi lætitia semper erit socia.  
 Cursu namque brevi spatium decurritur ævi,  
 Post quod finitum vadit ad interitum.  
 Cumque tuo Mahumet Plutonis victima fies,  
 Errorisque tui præmia percipies.

## CANTUS XIV.

D Cum jam crevisset fraus, et dolus invaluisset,  
 Nec sceleri metas poneret impietas,  
 Tunc destructarum clamores Ecclesiarum.  
 At Mahumet Dominus intuitus facinus  
 Sæviti in auctorem sceleris, tantumque furorem  
 Dignis persequitur suppliciis. Igitur  
 Solus ad auroram rex, primam locis ad horam  
 Egreditur tacite, forte carens comite.  
 Et meditans ibat cogitans quæ dogmata scribat,  
 Et quid eras doceat unde suis placeat.  
 Sed more instabat, quæ eras vixisse negabat  
 Præveniens hodie dogmata perfidiam.

Nam quæ verba daret populo cum rex agitaret,  
 Corripuit solita pestis eum subita;  
 Et cadit exanguis, torpens quasi perfidus anguis,  
 Nec, sicut voluit esse nocens, potuit.  
 Viscera constringens intus dolor æstuat ingens:  
 Æstuat interius, nec minus exterius.  
 Omnia torpebant, manus, os, pes, lingua rigebant;  
 Totus dirigit, totus iners jacuit.  
 Guttur præclusum linguæ, vocis negat usum;  
 Stabant et vacua lumina luce sua.  
 Quid moror? immensus dolor abstulerat sibi sensus,  
 Jamque subacta fere lingua parat fugere.  
 Quod portendebant spumæ quibus ora rigebant,  
 Et male continuus flatus et exiguus.  
 Sic absente mago tenet hunc dum mortis imago,  
 Accurrere suos digna repente lues;  
 Qui rapidus sic grex quasi spernens quod foret hic rex  
 Totus in hunc properat, et miserum lacerat.  
 Ac vitæ reliquum quod adhuc sustentet iniquum,  
 Exhaust leviter, ille gemit graviter.  
 Et tandem morienti Styx aperitur  
 Et Stygius latro vertitur in barathro.  
 Et quia damnavit animas, et corpora stravit,  
 Nil parcens animæ, corporibus minime,  
 Nunc ipsum porcus, animam depascit et Orcus,  
 Et sordis propriæ vertitur in sanie.  
 Jureque damnatus in utroque ferens cruciatus  
 Pœnarum genera sustinet ad scelera.

## CANTUS XV.

Cum magne audisset quoniam rex solus abisset,  
 Ac præter solitum protraheret reditum;  
 Solus eum sequitur, quo dum velocius itur,  
 Cernitur in media rex cecidisse via.  
 Ultor adhuc stabat grex, et regem lacerabat,  
 Ac si lege cibi sit datus ille sibi.  
 Sed veniente mago cessit porcina vorago,  
 Atque caput scelerum deseruit lacerum.  
 1294 Tunc fons peccati magus ad corpus lacerati  
 Accessit citius, quid faceret dubius.  
 Sed quid ad hoc faceret, nisi fleret, flensque doleret;  
 Flens igitur gemuit, nec modice doluit.  
 At cum sentiret dolor hic quod inanis abiret,  
 Et quod flere suum cederet in vacuum,  
 Secum dicebat: Quando pater Hectora flebat,  
 Nunquid ei lacrymæ profuerunt? Minime.  
 Ergo cum luctus nullos faceret sibi fructus,  
 Corde quidem doluit, flere tamen posuit.  
 Tu quoque depone luctum simili ratione:  
 Hunc etenim lacrymis amodo non redimis.  
 Talibus armatus monitis magus et recreatus,  
 Vultus composuit, et lacrymas tenuit.  
 Atque reportavit corpus, lectoque locavit,  
 Arte licet membra lovens lacera.  
 Ad quod miscetur quodcumque valere videtur:  
 Succus laureolæ, flosque tener violæ.  
 Implebantque domum thus, balsama, nardus, amo-  
 [mum,  
 Ex quibus ignotam fecerat antidotam.  
 Et membris cunctis regalibus inde perunctis,

A Vestibus ornat eum, tendit enim laqueum,  
 Quo deceptorum capiat mentes populorum,  
 Gaudens fraudens sua non sibi continua.  
 Rege perornato mox more suo scelerato  
 Regales famulos convocat et populos,  
 Quod sic affatur: Lux hæc sollemnis habetur  
 Qua cælos hodie rex petiit Lybiæ.  
 Suscipitur cælis rex nobis quippe fidelis,  
 Atque suos pueros vos vocat ad superos.  
 Nam dilatatus licet ejus sit dominatus,  
 Non tamen inde minus noster erit dominus.  
 Imo suos Lybios non ut servos, sed amicos  
 Confirmando teget, atque fovendo reget.  
 Sed quid turbatur cor vestrum, dum meditatur  
 Et causam quærit cur pater hic dederit  
 B Porcis rodenda sua membra nimis veneranda,  
 Quam caro sit vilis, mors docet hæc humilia.  
 Hæc ut monstraret et aperte significaret,  
 Ipsa pati voluit, nosque per hæc monuit  
 Quam fragiter simus; sed quamvis carne parimus,  
 Post mortem reliqua spes tamen est aliqua.  
 Fit quia nostrarum mors ipsa salus animarum,  
 Et quando morimur, tunc Mahumet sequimur.  
 Qui sublimabit, cunctosque sibi sociabit,  
 Qui sua complere jussa volunt opere.  
 Cujus mandatis hæc addimus, ut caveatis  
 Porcina temere vos lue polluere.  
 Nec puto dicendum cur istud sit faciendum  
 Cum per se pateat quid satis hoc doceat.  
 Ex hoc gens illa, contempta carne suilla,  
 C Pollutum credit, de suæ quisquis edit.  
 Et quia porcorum grex regem rosit eorum,  
 Ficta superstitio venit ab hoc odio.  
 Tunc sua præcepta gaudens magus esse recepta  
 Rerum gestarum credidit esse parum,  
 Ni consummaret scelus, et quasi sanctificaret.  
 Quod plenus scelere sic parat efficere.

## CANTUS XVI.

Construxit fanum, fanum non, imo profanum,  
 Cujus pro foribus sculptile marmoribus  
 Carmen habebatur, quod tale fuisse putatur:  
 Hic bene quod petitur per Mahumet dabitur.  
 Hæc in structura nihil exstabat sine cura;  
 Tota domus pretio fulsit et ingenio.  
 Marmore candebat paries quicumque patebat;  
 1295 Sed marmor parium viciit opus varium,  
 D Nam si vixisset opus atque loqui potuisset  
 Materiam vici, diceret artificii.  
 Taliter ornatum fanum fuit atque paratum.  
 Sed si quis quærit quanta domus fuerit;  
 Cum procul hinc statur, mons aureus esse putatur,  
 In tantum spatii continet et pretii.  
 Plus mirareris si forsitan egredereris,  
 Fulgor enim lapidum te faciet stupidum.  
 Sic si ornatum gemmis, auro variatum  
 Sicut nocturnum lucida stella polum.  
 Sic opus elatum solo magnete paratum  
 In medio steterat quod velut arcus erat,  
 Sub quo portatur Mahumet, tumuloque locatur,

1296 Qui si quis quærat ære paratus erat.  
 Et quæ revera tam grandia contrahat æra,  
 In qua rex jacuit tomba levata fuit.  
 Et sic pendeat, quod vis lapidum facebat.  
 Ergo rudes populi prodigium tumuli  
 Postquam viderunt, rem pro signo tenuerunt  
 Credentes miseri per Mahumet fieri.

A Pendere res plena quod pendeat absque catena,  
 Nec sic pendiculum quod teneat tumulum.  
 Hæc ubi viderunt stulti, Mahumet coluerunt,  
 Gente quod in Lybica fecerat ars magica.  
 Hactenus errorum quia causas diximus horum,  
 Musa manum teneat, et Mahumet pereat.

## VEN. HILDEBERTI

LIBER DICTUS

### MATHEMATICUS.

(E ms. codice 500 ad minus ann. Elnonensis olim monasterii, seu S. Amandi in Pabula, nunc bibliothecæ Regiæ, sub n. 274, qui solus inter mss. hoc habet poema, quod immediate subsequitur historiam Mahumetis.)

#### BREVE MONITUM.

Cum Hildebertus, auctor hujus historiæ, nullam cui conveniat, personam nominet, nec cuiquam Romanorum procerum conveniat, lectis ipsorum historiis, detegere potuerimus, nil aliud suspicari potuimus, quam ejus fuisse gratuitum commentum ad exercitationem academicam confictum, in derisum astrologiæ, ut vocant, judiciariæ, a qua forte sui temporis homines plus æquo deditos avertere voluit. Tantam porro narratio hæc cum OEdipi fabula videtur affinitatem habere, ut nisi tam expresse Hildebertus Romam nominasset, illam ipsam OEdipi fabulam censeremus: sane nihil propius ad ejus imitationem accedit. Cæterum inde sagax lector advertere poterit, non tantum rhythmicis carminibus Hildebertum præstasse, sed cum illi a rhythmorum angustia evadere datum est, versibus omnia generis apprime versatum fuisse. Illud igitur poema e manuscripto Elnonensi annorum ad minus quingentorum ætate, et historiæ Mahumetis immediate subjunctum, publica luce non indignum duximus.

#### CANTUS PRIMUS.

Semper ut ex aliqua felices parte querantur  
 Leges humanæ conditionis habent.  
 Miles erat Romæ probus armis, rebus abundans,  
 Urbe potens, felix conjuge, clarus avis.  
 Voce, manu, facie, facundus, largus, honestus,  
 Vir sapiens stabilis tempore, mente, fide.  
 Sponsa viro, non stirpe minor, non moribus impar,  
 Non ævo senior, dissimilisve fide.  
 Prompta, modesta, timens, non ut solet esse fre-  
 [quenter

Imperiosa suo femina pulchra viro.  
 Luxus opum nocuos quamvis declivis ad actus,  
 Non fecit mores degenerare bonos.  
 Cum soleat levitas juvenilibus esse sub annis,  
 Non leve gessit opus femina pulchra, potens.  
 Casta, decora fuit, quæ virtus rara venustis  
 In fragili sexu rarior esse solet.  
 Femineæ vitium naturæ, mobilitatem  
 Cavit, et ingenitæ crimina nequitæ.  
 Affectusque leves quadam sub mole refluxit,  
 Et potuit sexus inmemor esse sui.  
 Sic igitur proba, juncta viro]formosa decoro,  
 Callida sensato, religiosa pio.  
 Sors arrisit eis, favit natura; beati  
 Omnibus, excepto munere prolis, erant.

B Perfecti minus hoc uno, si prole carere  
 Est a perfecta prosperitate minus.  
 Spes igitur sobolis multos damnata per annos  
 Cætera naturæ dona placere vetat  
 Successus alios, alios obscurat honores,  
 Fortunamque facit omnibus esse ream.  
 Flentque dolentque magis, nec enim natura repugnat,  
 Nec gravitas cui languidioris [f. languidior vis]  
 [obest.  
 1297 Nec senis hæc gelidos causari conjugis  
 [annos,

Ille nec uxoris frigida membra potest.  
 Etati confusa suæ superumque favori,  
 Spem gerit in voto femina sola suo.  
 Spemque super dubiam fati quid volverat ordo,  
 C Certior esse volens consulit astrologum,  
 Qui poterat stellis superum dependere curas,  
 Parcarum mentem consiliumque Jovis,  
 Naturæ causas secretaque scire latentes  
 Et quæ fata, quibus legibus ire velint.  
 Ille mathematicæ studiis exercitus artis  
 Portendat numeros, astra movent numeri;  
 Exquiratque vagos numeri ratione planetas,  
 Quorum sollicite puncta gradusque notat.  
 Et qua consultæ momentum colligit horæ,  
 Et perpendit in his esse, modumque rei.